



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Sancti Gregorii Papæ Primi Cognomento Magni Opera

In Tres Tomos Distributa. Ex quamplurimis MSS. Codicibus emendata ;
Additæ Sunt Quædam Notæ in Dialogos & Epistolas ejusdem S. Gregorii

Gregor <I., Papst>

Lutetia Parisiorum, 1675

De Commentario In Libros Regum Judicium.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-75090](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-75090)

DE COMMENTARIO
IN LIBROS REGUM
JUDICIUM.

PRÆTER illa quæ in præfatione generali produximus argumenta adversus inscriptionem horum Commentariorum nomine S. Gregorii, alia quædam superaddere visum est. Primum S. Gregorius epist. 22. lib. 10. dum se locutum ait de libris Regum, libros illos absolute & generatim pronuntiat, non præcisè & speciatim hos aut illos; at verò auctor hujus Commentarii quem præ manibus habemus, non nisi sexdecim priora libri primi Regum capita sibi proponit exponenda; sic enim in præfatione loquitur: *Cujus tamen (historiæ Regum) universitatem exponendam suscipere non audemus.* Et infra: *A principio voluminis usque ad David Regis vocationem explanare proponimus.* Mentem autem suam in sequentibus clarius auctor ipse aperit. Verba sunt: *Hoc videlicet à præfatis venerabilibus Patribus distantes, quia non sparsim & de diversis locis eligimus quod exposituri sumus; cum illi non ex ordine aliquam sacre hujus historia partem, sed sparsim testimonia quædam susciperent quæ ad eruditionem fidelium exponere habuissent.* Et paulò post: *Ut brevi isto quod cernitur experiri possimus, si ultra progredi exponendo debeamus.* Et inferius: *Sed & primò non tam instituere quàm obsecrare Lectorem censui, ut inanitate expositionis meæ, pondus sacre historie nequaquam penset.* Et in fine totius operis sic concludit: *Sed quia auctore Deo ea quæ proposuimus de libro Regum tractanda complevimus, orandus est summus atque omnipotens Spiritus, ut qui verba per quem voluit protulit, tam scribenti quàm legenti tribuat affectum virtutis.*

Secundò. Non scripsit S. Gregorius, non dictavit amanuensibus, sed locutus est. Sermones habuit quos Claudius Abbas audiens suo postmodum stylo dictavit: at auctor hujus Commentarii se non tam dictasse quàm scripsisse profitetur, suamque expositionem non auribus, sed oculis subjecisse lectorum.

Tertiò. Auctor hujus Commentarii vulgata sacre Scripturæ versione vitur: Gregorius autem Italica & Hieronymiana. Id observare facillimum. Multa etiam loca non eo modo effert, quo solet Gregorius, ut versiculum cap. 15. l. 1. Regum. Cùm enim lib. 18. Moral. c. 22. lib. 6. c. 21. & lib. 34. c. 14. Pastor. 1. part. c. 6. ita legatur: *Nonne cùm parvulus esses, in oculis tuis caput te constitui in tribubus Israel?* Auctor Commentarii aliter sic habet: *Nonne cùm parvulus esses, in oculis tuis caput Israel factus es.* Scio quidem ita etiam legi homil. 7. in Evangelia; verùm error est in recentioribus MSS. codicibus, qui exinde in editos irrepit. nam in veteribus MSS. ut in antiquissimo & optimæ notæ S. Germani à Pratis, & in Anglicis constanter ita legitur: *Cùm esses parvulus, in oculis tuis caput te constitui in tribubus Israel.* Versiculum etiam illum Psal. 103. *Qui regis aquis superiora ejus,* ita legit Gregorius Homil. 9. & 17. in Ezech. Auctor verò Commentarii habet: *Qui regit,* scilicet in Præfatione. Gregorius verba illa Exod. 7. ita refert: *Ecce constitui te Deum Pharaonis,* Homil. 8. & 15. in Ezech. Hic autem cap. 1. *Per sui te Deum Pharaonis.* Gregorius Homil. 9. in Ezech. *Nihil me judicavi scire inter vos, nisi Jesum, & hunc crucifixum.* Auctor verò c. 1. *Nihil judicavi me scire inter vos, nisi Christum, & hunc crucifixum.* Gregorius lib. 17. Moral. c. 13. *Ascendit super Cherubim, & volavit, volavit super pennas ventorum.* Psal. 17. Auctor ibidem: *Ascendit super Cherubim, & volavit super pennas ventorum.* Gregorius lib. 4. Moral. cap. 17. *Maledictus homo qui spem ponit in homine.* Jerem. 17. Auctor, *qui confidit.* Nec omittendum illud l. 5. c. 4. ad illa verba, *quocumque se vertebat,* &c. vbi textum illum Evangelii Marc. 16. *Predicabunt Evangelium omni creature,* auctor exponit de generibus singulorum: contra verò Gregorius Homil. 29. in Evangelia. Alia multa inter legendum occurrent.

Quartò. Neque verò stylus ipse Gregorianum sapit, licet in quibusdam eum imitari conatus sit auctor; quod fortasse erroris occasionem præbuit. Verùm quantum stylo Gregorii sit dissimilis, sola Homiliarum in Ezechielem lectio comprobabit.

Quintò. Sed quid plura? si attentius auctoris verba expendantur, luce meridiana cla-

De Comment. in Lib. Regum.

rius apparebit fuisse Monachum aliquem, qui frequenter de Monachis monasteriorum-que regimine ac disciplina sermonem habet. Siquidem lib. 1. cap. 1. Moralis expositionis ad illa verba, *Fuit vir unus, &c.* ita loquitur: *Hi qui abrenuntiantes seculo, remotioris vite secretum petivimus, Monachi vocamur: Monos quidem Græcè, Latine autem unus dicitur. Hoc quippe titulo appellationis inscribimur, ut vox nominis nostri nobis insinuet altitudinem dignitatis, &c.* Lib. 2. cap. 3. ad hæc verba, *Et vocavit Dominus Samuelem*, sic habet: *Vera obedientia nec Prepositorum intentionem discutit, nec præcepta discernit: quia qui omne vite sue iudicium majori subdidit, in hoc solo gaudet, si quod sibi præcipitur operatur. nescit enim iudicare quisquis perfectè didicerit obedire.* Et infra: *Ad promerenda æternæ vitæ gaudia non exquiritur qualitas operis, sed mortificatio propriæ, & executio aliene voluntatis.* Lib. 3. c. 4. ad illa verba, *Et elevantes oculos, &c.* *Bethsamite oculos levant, cum vite secretioris proposito confluentium ad se dona subtili inspectione considerant, cum intenta mente discutunt, recta validaque intentione prosequuntur. Levare igitur oculos eis est, Novitiorum spiritum aliis considerare.* Lib. 4. cap. 4. ad ista, *Quia petistis vobis Regem, &c.* *Qui arctissimam conversationis viam imperant, noviter accedentibus facile aditum non impendant.* Et post pauca: *Qui in regularis vite forti proposito aliis præsumunt, tanto discretius debent ad eandem viam conversos recipere, quanto & vilius præsumendum est, accedentium petitio ex virtute sit animi, an ex precipitatione voluntatis.* Et nonnullis interjectis, ad hæc, *Et audivit Samuel: Audire vocem populi est, que sanctæ conversationis habitum petentes exterius dicant agnoscere. Hoc namque Novitorum nostrorum mentes audiant & expavescant, quia videlicet quod nobis dicunt, in auribus Domini loquuntur.* Et inferius: *Cum ergo ea que Novitii promittunt, Deo offerimus, quasi chirographum quod nobis faciunt, illi damus: Et paulo post: Qui in sanctis monasteriis sunt repidi, medendi sunt quasi ægri; non sunt ejiciendi ut mortui.* Et postea: *Quia perfectò nonnulli ad servitutem Dei veniunt devoti, qui & refrigerare permittuntur, sed Pastorum studio, quorum se præcepto subdiderant divina inspiratione, ad amorem celestis patriæ recalescunt.* Et post multa, ad illa verba: *Festina nunc, hodie veni in civitatem: Qui ergo remota vite ordinem sumpsimus, hoc observare attentius debemus. Statuende sunt nobis horæ ministerii, ut breviter persistamus in opere, festinanter redire valeamus ad contemplationis arcem. Ipse autem secreti silentii nostri more tanta lege districtiōnis custodiende sunt, ut ipsi etiam qui accedere solent, sciant quia contra propositum nostrum ad nos accessum non habeant.* Lib. 5. c. 3. *Etsi in his nostra discutimus, in Monasteriis plerique tales inveniuntur, &c.* Lib. 6. cap. 2. ad hæc verba: *Tulit autem populus, &c.* *Hoc sæpe in monasteriis accidit, cum quisque nimis religiosus subditus spiritualium Prælatorum imperiis adjicere præsumat, cum Regularem communem vitam despicit, & propriæ sequitur arbitrium voluntatis. Dum enim meliorare vitam eligendo quam obediendo nititur, quid aliud quam apertam inobedientiam intentione virtutis colorare monstratur? Plura studiosus inter legendum inveniet.*

Ex his omnibus verisimile est Commentarium in libros Regum supposititium esse, & perperam Gregorio Magno adscriptum. Sanè quisquis illius est auctor, pius est maximè, in vita spirituali exercitatissimus, multiplicique eruditione referus. Et ut paucis doctrinæ ejus excellentiam comprehendam, abstrusissimas Scripturæ sacræ sententias mira varietate enucleat, lectorem Christianum instruendo movet, à vitiis fœditate deterret, & ad virtutis studium plurimum inflammat. Utinam tam pium, tam sanctum opus S. Gregorio vindicare possemus salva veritate.

